

EXERCITIUM PHYSICUM

# OSCITATIONE,

*Quod*

D. O. M. A. E. D.

IN INCLYTA AD ALBIM ACADEMIA

SUB PRAESIDIO

*Viri Clarissimi & Excellentissimi*

DN. M. ABRAHAMI HEI-

NECOLOGICÆ ET METAPHY-

SICÆ Professoris publici, Præceptoris ac Promo-

toris sui nunquam non colendi, placidæ disserta-

tionis in publicam committet,

JOHANNES BARTHOLOMÆUS

CRÜGER, Wittebergensis Saxo.

*Habebitur ad diem 29. Martij, horis 8. Matutinis.*

*in Auditorio Majori.*



WITTEBERGÆ,

Excusum Typis JOHANNIS HAKEN,

ANNO M. DC. XXVII.



CVM DEO.

PRÆLOQVIUM.



UM tota Philosophiæ cognitio non immerito animi medicina, ab Oratorum principe indigetetur, summisq; aliis laudibus cœlum usq; tollatur; tum speculativa potissimum ea esse videtur, quæ animos ab humilibus ad excelsa, à terrenis ad cœlestia singulari dexteritate elevare poterit. Idq; me non tantum conjectore, sed viris vetustate nobilissimis, laude literarum florentissimis usq; quaque ad stipulantibus; adeò ut etiam in theoreticis maximam felicitatem, ipsumq; summum bonum civile reconditum esse plurimè opinentur. Imprimis tamen, si jucunditatis rationem habeas, primum meretur locum Physica: Eâ enim eruditi, poëticarum applicationem fabularum, quibus Prometheus homines ex variis brutarum animantium partibus composuisse fingitur, summâ cum suavitate cognoscimus; Eâ deliniti (nò secus ac Thucydides Lacedæmonios summos bellatores tiliarum modulis ad dura hostium certamina induci solitos, scribit) ad arduarum disciplinarum studia feliciter aspiramus. Hæc ut sententia falsitatis non expers videatur; ecce subscribit quem in principio laudavimus Maximus Orator Tullius s. Tullius. quæst. ita locutus; Nihil est dulcius otio literario, his dico literis quibus infinitatem rerum atq; naturæ



& in hoc ipso mundo cœlum, terras, maria cognoscimus. Hinc & sapientissimus *Plato in suo Timæo p. 554 & 555*. Physicam solam Philosophiæ nomine dignatur, dum ex oculorum acie nos Philosophiam adeptos esse graviter asserit. Certè Physicæ jucunditatem cognovit & Pythagoras. Unde, cum discipulos suos ἀγαθῶν Ordini primò inservisset; silentio post biennium eruditos in μαθητῶν classē redegit; Tandem verò in φιλοσοφῶν statu vitæ reliquum spatium, ceu in re jucundissimâ, transigere voluit: ut tradit *Gellius lib. 1. noct. att. c. 9*. Quid ergo mirum si & nos Physicæ dignitatem admiremur? Quid sit de honestamenti si majorum vestigiis insistentes nihil magis in votis quam Physicæ cognitionem habeamus? Nemo nisi qui gustaverit cibi percipiet ambrosiam: Ita nemo nisi qui rem aggressus rei cognoscet auncenitatem. Exspatiabimur itaque & hac vice in viridissima Physiologiæ tempe, atque exinde unicum flosculum carpemus, qui si accuratè tritus fuerit non certè exiguum fructus odorem nobis conciliabit: Abibimus scilicet in tractationem oscitationis jucundissimam. Quæ ut accuratius instituat, perfectius absolvatur, rogamus DEUM supplices, ut cœptis benedictione sua annuere velit.

### I. T H Ê S I S.

UT rem propositam p̄nitius perspiciamus, ad noticiamq; nos specialiotem præparemus, duos constituemus in operis limine cancellos, extra quos divagari minimè queamus, nimitum quæstionem an sit? Non quidem, ut rem ipsâ lucè clariorem sensibusq; totaliter expositam, ridiculâ & inani planè probatione tenebris potius quam claritate circumfundere constituamus:

mus: Verùm ut ostendamus an ad Physicam ejus quoq; sit referenda tractatio, an verò Philosophiæ limites excedat. Et quæstionem quid sit? Quem scilicet in modum methodicè procedere jubet *Zabarrella lib. 1. demethodus*, dum inquit: Quòd methodus progressus sit à notioribus secundum primam acceptionem notioris, nempe ex quibus inferitur ea ignota, quæ queruntur.

II.

An Oscitatio sit Physicæ considerationis dubitare aliquis non immeritò possit religionè hæusa, ex unanimi ferè Physicorum consensu, qui in suis tractationibus nec mentionem quidem oscitationis faciunt: tum etiam quòd sibi persuadere facillè queat ad medicinæ spectare lucubrations: quippe quòd non tantum malè affecti corporis comes sit, verum etiam sæpius iterata oscitatio morbi alicujus speciem præ se ferens in vitium molestum, quod *oscedinem Gellius lib. 4. noct. Att. 20*. appellat, abeat. At salva res est.

III.

Primo loco probatum dabimus, quòd omninò spectet ad Physicam, Objecta tùm argumenta facili negotio disturbabimus. Probationem autem nostram ex multis licet locis accersere possimus; principalia tantum, evitatis verbosum ac rerum ambagibus æquâ considerationis lance pensabimus. I. Ex omnium Philosophorum rectè sentientium concordia planè sententia manifestissimum est undique, corpus naturale quatenus naturale esse subjectum Physicæ; subjectum scilicet considerationis. Jam queritur an secundum materiam tantum an secundum formam, aut secundum utramq;?

IV.

Respondet Philosophorum Hercules Aristoteles.

A 3

lib.

lib. 2. *Physic.* c. 2. p. 461. Si autem ars, inquit, imitatur naturam, ejusdem autem est scientia cognoscere formam & materiam usque ad aliquid (ut medici sanitatem & choleram & phlegma in quibus est sanitas; similiter autem & aedificatoris formam domus & materiam lateres scilicet & ligna, similiter in aliis) & Physicæ utique erit cognoscere materiam & formam. Et tantum abest ut formam negligere Physicus possit, ut præcipuam ejus considerationem mereatur; quum ipsa, ut *Zab. libro de nat.* c. 7. subtili admodum discursu probat, propriè naturâ dicatur. Jam si forma est Physicæ considerationis; omnino etiam affectiones. Quemadmodum enim subjectum est causa accidentis, quod ait subtilissimus *Scol. exerc.* 325. S. 2. Ita non potest alterum sine altero perfectè cognosci. Id quod dico hoc modo ad rem præsentem applico. Substantiarum animatarum sentientium formâ generalis est anima sentiens. Generalem rectè voco, quia omnibus speciebus, eorundemque individuis generaliter competit: Non quòd adhuc specialis sit, quæ ab hac diversa homini unâ specialiter convenit; hoc namque respectu unius rei duæ darentur formæ quod absurdum; neque etiam rationalitatem esse distinctam formam, sed perfectionem formæ quæ una eademque manet ratione essentia, atque ad ob differentiam, quæ formam determinat ad certum subjectum, statimus. Sed ne divagemur. Hujus ergo formæ in præstabilioribus imprimis speciebus propria actio est respiratio, quæ passionis vicè in corpore gerens sit irrigatio ne quadâ & refrigerio ad vitâ, ut exprimit divinus *Platonis in Timæo* p. 597. Oscitatio verò quid aliud nisi respiratio vehementior? Ut enim respiracionem Aristoteles sæpius spiritum in lib. de respir. ita & oscitacionem multum

multum spiritus effluentis vocat *problem. Sect.* II. p. 908. Sed quid opus probatione, cum res ipsa de eadem re ipsis sensibus testimonium perhibeat? Ex hoc manifestò constat oscitacionem esse à Physici contemplacione neutiquam alienam.

#### V.

2. Si pulmo pertinet ad Physicam, etiam oscitatio. Connexio probatur: Quia pulmo ut est instrumentum necessarium respiracionis, nec aliquam aliam ob causam, nisi ob respiracionem factus Philosophis videtur: Ita etiam se habet ad oscitacionem. Quanquam enim facillè concedamus fungosum pulmonem & ex sanguinem oscitacione non gaudere: atque ad eò non omnino pulmonis esse effectum necessarium. Nisi tamen detur pulmo (sanguineus nimirum) dari non potest oscitatio. At verò, an pulmo pertineat ad Physicam, æquè incertum videtur. Hujus affirmativa per bonam consequentiam ex illo Aristotelis loco *de partibus animi* cap. 3. deducitur; ubi dicit pulmonem eundem, quem cor, obtinere sedem: Ut & ex illo quo omnes Philosophi pulmonem & cor per venas quasi commune vinculum sibi invicem auxiliùm transmittere docent. Si hæc sententiæ veræ, ut falsa esse nequeunt, certè cordis naturæ perfectè inquire nunquam poterit, nisi quoque adjacens proximum & unde sibi proxime opem petit, cognitum fuerit. Cor autem esse Physicæ considerationis nemo eorum, quos hæcenus vidi, negavit.

#### VI.

3. Ceterùm quum homo *μικτόν*, mixtum ex elementis habeat corpus, ut testatur *Collegium Comment.* in lib. 1. de celo *Aristot.* c. 1. quest. 1. Articulo 3. Aeternam certè etiam propriam sibi vendicabit. Neque

collectio



collectione opus. Ipse excellentissimus & Carissimus Dn. D. Sennertus ad spiritum & sanguinis arteriosi generationem & aëre & sanguine opus esse, clarè testatur lib. 3. Physicæ, cap. 2. corpore humano. Jam si Physica ab aëris tractatione nulla abhorret, præcipuè qui corpori naturali quâ tali accidit. Quis oscitationem de eadem doctrinâ eicere conetur? Atque istiusmodi argumentis quum nihil clarius, nihil etiam sit uberius, potius lectorum animos paucis delinitos, quam ubertate ad tædium usque passos dimittere voluimus.

VII.

Et verò si argumenta nihil quicquam ponderis cuiquam habere videantur. Movebit tamen ad assensionem una Aristotelis, principis illius Philosophorum & patris solius Philosophi (ut Trapezontius Logicorum longe præstantissimus eum vocat) autoritas: Qui in iisdem libri de sanitate; inter eos, inquit, qui de naturâ tractant, elegantissimi usque ad medicinalia principia desinunt. Quamquam igitur concedamus, quòd oscitatio ad medicinam etiam spectet; ex Physicorum tamen scholis idcirco non exterminabitur.

VIII.

Facilis ex dictis constat ad argumenta initiò proposita responsio. Primò enim nihil refert, licet nullus Physicorum oscitationis mentionem fecerit. Si argumentum procederet, sequeretur nec respirationem esse Philosophiæ naturalis tractationi subjectam, quippe ante Aristotelem nemo aliquam veram sententiam de eâ re, paucialiquid protulerant, ut ipse testatur lib. 1. de respiratione. Potuerunt videlicet Physici excellentissimi rem nostram præterire, vel quòd non multùm difficultatis in eâ repositam cernerent; vel quòd ad eas

cogni-

cognitionem sufficienter petendam lectores in tractationem respirationis remitterent. Sanè eò deducit Aristot. in problem. p. 908: Etenim dum loquitur de interiore & exteriori aëre, nec quicquam de iis inibi explicat; illicò lectorem, ubi istorum tractatio aliqua sit, tacitè querere jubet.

IX.

Ad secundum argumentum respondemus distinctione inter subjectum cognitionis & operationis. Respectu illius omninò pertinet oscitatio ad Physicarum disciplinarum studia; quatenus nimirum in numerum rerum naturalium rectissimè collocata reperitur: Ratione verò hujus libenter largimur, quòd etiam aliquo modo medicæ sit auscultationis. Atque hac ratione, res plurimæ ad duas istas sese habent disciplinas. Herbarum genera omnia pertinent ad Philosophiæ naturalem qua cognoscenda; ad medicinam, qua usurpanda: Sic morbi quoque illi obijciuntur consideranda; huic propellanda, &c. Quam ob causam oscitatio morborum sit plerumq; pedissequa infra aperiemus.

X.

Absolutà nunc priorè tractationis quam institui-  
mus parte, reliquum est ut ad alteram & quidem prin-  
cipaliorè nos conferamus, nimirum ad quæstionem  
quid sit oscitatio? Quam rem absolvemus 1. definitione,  
2. distinctione. Definitione quidem ut fieri ad solet  
duplici 1. nominis 2. rei.

XI.

Nominis definitio constabit enodatione & Etymologia; Homonymiæ & Synonymiæ. Etymologiam rectè à sandâ illarum linguarum matre deducemus, nempe Hebraicâ: Verùm videntur nullum rei significatæ aptum

B.

reaptum in ea reperiri vocabulum, quum nec *Buxtorfius* in *Lexico* nec *Melfubrerus* in *Syllage*, qui tamen simplicissima & usitatissima eöscripserunt nomina, aliquod ponant, Apud *Schindlerum* Rabinicum פִּיטָה ex radice פִּיטָה oscitavit videas. Ad Græcam igitur nos conferemus scholam. Græcum vocabulum, quod quidem omnem hiatum, peculiãriter tamen eum, quod quis os inter oscitandum diducit, significat, est χαῖσμα, cujus Synonymum χαῖμα, ut testantur *Scapula*, *Gesnerus* & *Linnius* in *Lexicis*. Ab hoc est verbũ χαῖσομαι, oscito; quo utitur *Aristot.* *sect. 11. problem. p. 908.* in eundem sensum, Et deducuntur hæc vocabula à primitivo χαῖνω, quod notat hiseo, deliseo: In sono certè maxime conveniens cum Germanorum vocabulo *Schnen*. Ambo ita dicta videntur ab oscitationis actu, qui convenientiam non exiguam habet cum his verborum sonis ut ad oculos patet.

#### XII.

Latinis oscitatio dicitur ab oscitare, ut liquet. Oscitare verò primitivum est: quod si ulterius deducere præsumeremus non levem ei injuriam inferre videremur. Si tamen more aliquorum procedere placeat, qui nihil non sub derivationem revocare annuntur, non malè omninò compositum esse diceremus à nomine OS, & verbo CIE O cujus frequentativum CITO. Quasi distractis labris os cieo & ptodo. Vel ab OSCIS, quorum meminjt *Gellius lib. 2. noct. Attic. c. 5.* idq; nomen inter populosum nomina ponit. Liceat enim conjicere. Isti fortasse Osci oscitationibus toti fuerunt dediti, nec quicquam ab oscitationis vitio abhorruerunt. Unde Romanos, qui nihil magis quam oscitationem avevfabantur, ad eò ut etiam poenas oscitantibus imponerent.

posuerint, censoresq; statuerint, quorum officium inter alia erat oscitantes ignominia afflicere, ut *Jacobus Pontanus* *secunda tertij progymnasmatum p. 334.* observat. Et *Gellius citatus lib. 4. noct. Art. cap. 20.* exemplum adducit cujusdam, qui cum injure stans clarè ac sonore oscitasset injuri, propè à poena quã plecteretur absuit, ab eorum nomine, ut notam inirent, oscitationem dixisse probabile est. *Petrus Møselhanus* ad dictum modò *Gellij locum adscripsit*: Ut ex audiretur à circumstantibus à sciendo dictam esse oscitationem.

#### XIII.

Homonymia in verbo oscitare non equidem ubique, in participio tamen potissimum conspicitur: Neque nomen etiam oscitatio, sed adverbium homonymia gaudet. Est autem oscitans ὀσκιώδης idem qui negligens oscitanter idem quod negligenter. Ex eo, ut videtur, quòd oscitatio ferè negligentia hæreat; Quod ipsum clarè docet modò citatus *Jacobus Pontanus volum. 2. progymn. 11.* dum dicit: Occupatos raro oscitare: Et in ejus ipsius loci annotationibus, cessantibus, inquit, planeq; otiosis amica est oscitatio. Quod quam ob causam ita sese habeat postea explanabimus.

#### XIV.

Synonymum grammaticũ quod plerunq; in disputationibus adhiberi consuevit, nullum in latinã reperimus linguã, nisi fortasse hiatum, qui tamen latius quiddam significat accommodemus. Neque etiam respiratio vehemens Synonymicè (intellige Synonymiam grammaticam) prædicari meretur, quum omnis quidem oscitatio sit vehemens respiratio sed non contra: quippe quòd hæc etiam sine istã nimia laborum, malarumq; diductione fieri queat.



## XV.

Definitionem nominis hactenus absolvimus; delabimur jam ad eam quæ est ipsius rei. Quam constituiamus talem: *Oscitatio est respiratio vehemens in animalibus orta ex pulmone sanguineo, cum diductione laborum malarum, & exferens: ad cordis refrigerationem, spirituumq; purgationem instituta à natura.* Constat hæc definitio Generis & differentia.

## XVI.

Genus est *respiratio* quod *Legitimum esse* ex eo patet, quod est in eodem prædicamento, nimirum actionis, 2. quia ut latius in quid de specie prædicatur: Et cætera documenta omnia habet de quibus monent Logicæ periti. II. *Subiecta quoq; materiae competere* similiter liquet. Nam quum respiratio duobus motibus ut *excellentiſſimum D. Sennertus*, seu partibus ut *Colleg. Conimbr.* loquitur, constat: Inspiratione quæ aër attrahitur: expiratione quæ emittitur: Ultraque etiam oscitatio sibi vendicat. Ex inspiratione enim primò gignitur, ut mox dicemus. Eademq; protrahitur. Expirationem autem adesse nemo qui vel unquam oscitavit negabit.

## XVII.

Posset quidem genus statui actio naturalis, non secus ac risus sictus &c. per actiones verè definiuntur. Verum enim verò ut certum imò certissimum est actioni subsistere; ita tamen nec minus verum quod actio non proxima sed remotum sit genus. Neq; oscitatio immediate est actio sed quatenus est respiratio vehemens est actio. Similiter eademmodò definimus risum, quatenus verò est risus actionem, remotè scilicet.

## XVIII.

Differentia absolvitur subiecto, efficiente, objecto & fine. *Subiectum est animal.* Animal scilicet non quatenus

us est genus, hoc enim respectu nihil aliud est nisi nudus conceptus, sed quatenus individua reverà existentia hoc nomine indignantur. Animal dixi, quod non tantum hominibus sed & brutis conveniat. 2. quia totum compositum est intelligendum. Scitè non corpus quæ est materia est subiectum oscitationis, quod in cadavere quæ apertissimè constat. Atq; hinc Philosophi solam formam causam motus quam rectissimè docet,

## XIX.

In causarum enumeratione Philosophi cultores imprimis distinguere solent inter principales & minus principales. Secundum hanc divisionem & nos methòdicè hic de his quæ & quomodo sunt disquirendum diximus. *Principalis igitur oscitationis causa, est ipsa anima* quum in animali animam esse principium activum proprii motus animalis certum sit, ut docet *Zab. lib. de nat. cap. 7. p. 246.* Minus autem principales causas statuimus duplices remotas ut ipsū cor, pulmones, diaphragmā, arteriam venosam, & arteriam vocalem: Proximas easq; vel operantes ut inspiratio vehemens & adjuvantes ut compressionem oris & imaginationem. De singulis breviter aliquid dicemus.

## XX.

Cor quia totam respirationem in effectum per se non deducere valet ex eo quod expirationi tantum inserviat; quum aërem à pulmonibus acceptum actu suo calcfactum iisdem reddat, quo exspiratio generatur ut docet *Colleg. Conimbr.* tum etiam quod patiens potius quam agens sit, ut postea dicemus; non jure videntur inter causas posse numerari. Certè tamen primo loco ponendum fuit: quia originaliter respiratio, oscitatio & omnes istiusmodi actiones à corde incipiunt: quippe

quippe quod anima præcipue & primario possideat in corde, & in eo sit tanquam in radice, ut accurate loquitur Zab. lib. de part. anime c. 5. p. 745. Atq; hinc etiam cor primo efficit, & per obitum vitam in eo ultimum defecere Aristot. lib. 2. de gen. anim. c. 7. p. 1260. Ut quicquid in corpore sensus particeps iussa cordis minasq; persentiat atq; ita obediat, obsequaturq; omnino, toleretq; in omnibus præstantissimi illius imperium. *Teste divino Platone de naturap. 186.*

### XXI.

Pulmonem esse instrumentum & causam oscitationis nemo inficias ibit, qui modò seiverit nihil quicquam spirare posse quod pulmonem non habet, teste Arist. de respir. c. 1. Jam si minus non est quomodo majus erit. Certe pulmo singulari naturæ statuto aëris gratia est comparatus: Est enim ejus corpus leve & rarum velut è spumâ quadam sanguineâ concretam & spongia simile; Ut monerantur Collegii Connimb. in lib. de respir. cap. 1. Atque inibi citat Ferneliu, cujus sententia hæc est: Quod pulmonis caro contextus triplici vasorum genere rectis modo implicatorum, Quorum primum sit arteriosa vena, quæ ex dextro cordis ventriculo in omnes pulmonis particulas diffundatur: Per hanc verò cor alimentum pulmoni transmittat: Secundum arteria venosa quæ ex omnibus ejus particulis reves rivis tanquam radices excipiens, trunco unico in levum cordis sinum intruditur: Tertium aspera arteria, quæ à faucibus ortum ducens in duas regiones, primum bivio distracta, mox deinde in exiguas propagines dissecta totum pulmonem decurrat in eumque aërem attractum afferat. Pulmones ergo quia totius respirationis causa existunt: Inspirationis, dum se dilatant & quasi folles aërem attractum in cor effundunt

dum comprimuntur, aërem à cordis officinâ resumptum expirationi tradunt) adeò ut ideirco natura pulmonem aliis visceribus omnibus majorem fecerit, quò aër plurimis attrahi & in contineri possit; ut ex clarissimo Do. D. Sennert, conspicitur: Ideò in definitione oscitationis eorum mentio facta solùm est. Addidimus ibidem: *Sanguineum*. Id verè hanc ob causam, quia illa quæcunq; quidem ex sanguinem habent pulmonem & laxum minus indigent respiratione ut ait Arist. de respir. c. 1. Ex quo facilè patet lenem respirationem his solam esse propriam, quam scilicet facilè reprimere possunt. Quam ob causam cõtra respiratio gravis & vehementis qualis conspicitur oscitatio contrariù, i. e. sanguinem deposcet. XXII.

Diaphragma, cujus usus ita dicitur Philosophis abjungit spiritali membrò ab inferioribus, est quò mediante & interveniente aër externus per arteriã vocalem attrahitur ad pulmones. Immane quantum hoc ipsum confert ad motum pulmonum ut sine eo pulmonum moveri nequeat; Imò ut læso diaphragmate pulmonum motus expiret. Virtus n. motrix innata pulmonibus exigua est & imbecillis quæ per se ad id munus obtinendũ non sufficit. *Vt docet Colleg. Connimb. in de respir. c. 2.*

### XXIII.

Arterias duas si spectemus, omnino eæ maximè etiã ad oscitationem faciunt. Arteria vocalis est, quæ aërem externum attrahit inq; pulmones inhiantes deducit, Arteria venosa est, quæ aërem extrinsecus advenientem & in pulmone præparatum, sanguinemque è dextro ventriculo cordis per venam arteriosam advectum, in sinistram cordis ventriculum defert, fumosãsq; exhalationes expellit, ut docet excellentissimus Dominus D. Sennertus. Summatim: Secundum has causas omnis respic



respiratio procedit hoc modo: Attrahitur externus  
aër per arteriam vocalem interventu diaphragmatis  
ad pulmones: Hi sese dilatando quasi folles aërem at-  
tractum in cor effundunt frigidam ei qualitatem im-  
pertientes: Sed mox reciproca vicissitudine eundem  
aërem aestu cordis calefactum se contrahendo foras e-  
jiciunt, Instrumentum autem per quod ad aërem pul-  
mones demittunt, est arteria venosa, Qua ratione ex-  
ponit *Colleg. Connimb.*

#### XXIV.

Accedimus nunc ad causas proximas quarum unam  
diximus operantem; reliquas duas adjuvantes. Illam  
nuncupavimus *inspirationem vehementem sive largam*  
*attractionem aëris exterioris.* Hæc videlicet non est initi-  
um duntaxat oscitationis, prout Aristoteles omnis re-  
spirationis principium esse inspirationem, ex eo quod  
morientes expireat, concludit *lib. de resp. c. 5.* Sed est  
causa, producens ipsum oscitationis actum, proxima.  
Dum enim per arteriam vocalem magna aëris vis in-  
funditur, multum etiam ejusdem iterum effundi ne-  
cesse est; Aliàs corpus exinde inflatum nihil minus  
quam saluum temperamentum retinere posset. Atque  
ita nascitur oscitatio.

#### XXV.

Ad hujus causæ vim exierendam non mediocriter  
conducunt eæ quas diximus adjuvantes; *oris compressio*  
*& Imaginatio.* Quando ad exiguum temporis spatium  
os comprimio, aër attractus viam nullam inveniens per  
quam largiter emanare queat intra pectus cumulatatur,  
pars ad nares extans cerebrum obsidet, pars ad pulmo-  
nem descendere iterum conata ejus contractione re-  
pellitur: tum cum in apertu omnis promuens os mirum  
in

modum distendit, anresq; intrinsecus subit. Hanc nimi-  
rum causam dicit Aristoteles *problem. sect. 11. p. 908.* ob quam  
oscitantes minus audire possimus. An, inquit, quod mul-  
tùm spiritus effluentis inter oscitandum aures etiam in-  
trinsecus subit ut morio vel sensu percipi possit, quam tru-  
dit ad aures maximeq; post somnum. Sanè quod post so-  
mnum ita oscitemus ratio ex hac quoque causa adjuvante  
peti potest. Nam dum in somno, ut fieri solet, per rhon-  
chos largiter semper respiravimus, post somnum ab istius-  
modi rhonchis abstinemus, atque ad eò natura ejus com-  
pressionis & mutationis indocilis ad oscitationem subinde  
moveret. *Quamquam* in hac nostra sententia non ita simus  
rigorosi, ut ad omnem oscitationem oris repressionem ne-  
cessariam affirmemus. Quidam enim oscitationis actus ex  
nuda imaginatione proficiscitur ut jam dicemus,

#### XXVI.

Imaginationem seu memoriam & Aristoteles causam  
oscitationis dicit *problem. 7. p. 870.* dum dicit, Cur oscitan-  
ti sæpè in oscitando, respondemus? & cum mingen-tem,  
quenquam videmus ad mingendum movere? quod ju-  
vantis præcipue accidit. An propter memoriam? Move-  
mur enim eà ipsa parte quoties meminimus. Hominibus  
tamen quia sensu præditi faciliori statim ubi videntur eve-  
nit ut moveantur, remipiscanturq; Jumentis autem videt  
se non satis est, sed alio quoq; sensu opus est, quam obrem  
addito etiã olfactu moventur, quoniam sensus hic in bru-  
tis mobilior est. Et hæc certè causa majoris videtur esse mo-  
menti quàm compressio oris quippe quod eam semper se-  
quatur effectus: illam verò cum demum quando aëris ve-  
hementius excurreris via aliquo modo præcluditur, ut post  
somnia, &c.

#### XXVII.

Demonstratis itaq; causis, restat, ut objectum & finem ad  
definitionis *hæc* redeunt, manifesta quoq; reddamus.  
C *Objectum*

*Objectura statuiamus duplex; Externam & Internam; seu ut sic dicamus actualem & finalem. Illud nobis est circa quod versatur oscitatio sese exerendo veniuntque eo nomine mala, labra, quæ, dum fit, oscitatio mirum in modum distrahit. Atque hoc objectum quam clarum sit & manifestissimum multum de eo verborum facere opera pretium non ducimus. Hoc tamen dicimus, quod ad oscitationis differentiam constituendam quam maximè faciat.*

X XIX.

Hoc objectum nempe internum finale nobis dicitur circa quod oscitatio dum occupata est finem suum assequitur, Estque Cor. Cor ut antea diximus, est sedes animæ unde originem respiratio, cum respiratione oscitatio sibi deducit. Hinc dubitare aliquis posset, quæ ratione aliquid simul esse objectum & causam efficientem possibile esset. Non secus anima aliquid non potest esse sui ipsius causa ut *subtilitatum magister exercitat. 10. docet*; Ita non potest, ut videtur, aliquid simul esse causa & objectum; quippe quod ea sint realiter diversa ac naturaliter quidem majori distent spatio quam causa & effectus, quam causa per effectum agat in objectum. At verò ut ut magnum hæc sententia præ se ferat veritatis speciem, neutiquam tamen procedit sive contemplerur effectus essentialiter sive accidentaliter sequentes: Sive actiones immanentes sive transeuntes, ut mediocriter rem pensanti manifestissimum est. Tum etiam si accuratius loqui velimus non cor quatenus cor, est causa efficiens respirationis, ut & oscitationis, sed anima, quæ sedem suam fixit in corde: ut cor nihil aliud quam instrumentum dici meretur in effectione illius, nec principale quidem ut pulmones, sed potius si accuratè loquamur se habeat, ut causa *organæ*, quæ sequente effectu perfectius cognosci nequit nisi ut objectum. Huic objecto addidimus in definitione aliud, videlicet

delicet spiritus: Quod quomodo se ad oscitationem habeat, ex finis declaratione, ut breviores sumus, jam deducemus.

X XIX.

Finis igitur est qui hoc objectum afficit ac aliquo modo perficit. *Cordis nimirum refrigerium est quæ inde sequitur tutela nativi caloris.* Audiamus Colleg. *Connimbricense*: Dubius, inquit, potissimum causis perit calor, coque abolito ruit in perniciem vivens cui inharet & ad cuius conservationem requiritur; nimirum vel quia ejusmodi calor immodici frigoris appulsu extinguitur vel quia marcescit & suffocatur defectu aeris refrigerantis. Utique nimio frigore caloris iacturam faciunt, emoriunturque nonnunquam ii qui nivosa loca trajiciunt & qui liberaliore potu algida aquæ irrigantur: Similiter pruina & perfrigido ventorum flatu stirpium & vinearum germina adarantur & integræ arbores succo omni exhausto inarescunt. Inopia, verò refrigerationis evanescit flamma medicis cucurbitulis, vel clauso furno coercita; Intereunt animantes quibus fauces præcluduntur. *Hæc Colleg. Connimb.* Et paulò post: Hæc igitur causa ob quam natura ipsi animantibus quibus cor uberiori spirituana copia & calore assuat respirationem attribuit.

XXX.

Et hoc est quo probare possumus oscitationis quoque finem esse cordis refrigerationem. Non tantum quod constat, omnem respirationem eam pro fine habere, oscitationem autem esse respirationem. Verum ex ipsa oscitationis propria natura: Oscitatio est respiratio vehemens ut vel ad sensus patet. Est effusio vel effluxus spiritus ut ex Aristotele supra adduximus. Jam hæc oscitationis attributa cum dictis *Collegij Connimbricensium*,



conferamus. Hoc innuit quod respiratio sit necessaria ne marcescat & suffocetur calor naturalis ex defectu aeris refrigerantis. Eodem modo maximè etiam conducere oscitationem reperimus. Quum his duabus præcipue, ut diximus constet motibus; Advectione aeris vehementioris quo cor refrigeratur, non secus ac in *panopæo* in subito irruente vento; Et emissionè aeris largiore, quo cor levat à spiritusque mole liberat & fumosis exhalationibus, quas ita vocat *excellentissimus Dn. D. Sennertus*, uno actu expulsi liberiores motum conciliat. Atque idcirco ferè cor (propter hunc scilicet respirationis & oscitationis finem) pulmone per arteriosam venam, quæ in dextro cordis ventriculo sita, alimentum transmittit, quod nulli alij membro præstat, ut docet *Galenus, lib. 2. de natur. facult. citante Collegio Conimbr.*

### XXXI.

Quemadmodum autem finis Logicæ doctissimis omnibus optimè semper dispescitur in principalem, & minis principalem: Ita hoc etiam loco in definitione oscitationis cordis refrigerio, quod quidem finis princeps, appositum quoque eum qui ex isto fuit minus principem, purgationem Spirituum, Spirituum, ut discimus ex viro *clarissimo & excellentissimo Dno. D. Sennerto*, sunt tres; Naturalis, vitalis, & animalis. Omnium materia prima est subtilior sanguinis pars, teste eodem ibidem. Jam ut sanguis obeui potest pravis humoribus: Ita omnino Spiritus fumosis exhalationibus, quæ ipsis non secus ac humores sanguinali in materia qualitate aliquo modo respondens, offendi possunt. Præsertim, quum fumosarum istarum exhalationum materia prima sunt humores, oriuntur enim istiusmodi fuligines ac crementa ex humorum aduisione loquitur *Colleg. Conimbr.* in de respiratione p. 60. Igitur ut hæc spirituum incommoda, in recentem auram submittantur, forasque expellantur, conducit quidem omnis respiratio imprimis verò oscitatio, quæ in unum fasciculum, ut ita loquar, redacta simul effundit & Spiritus adeò purgatos recenti auræ reicit.

### XXXII.

Hæc sententia pugnare videtur cum illa sæpius adducta Aristotelis, quæ

quæ dicitur Spiritus effluere, effluendoque aures obsidere, Dicit igitur aliquis quod hæc duæ sententiæ: Spiritus effluunt, & Spiritus purgantur simul veritati consentaneæ esse nequeant. Verum respondemus quod optimè stare possint hæc enunciationes, sed sano modo acceptæ. Vel enim primò enodanda est homonymia in voce spiritus quæ certe Aristoteli non uno modo accipitur; cum primis verò in Physicis dupliciter 1. pro eo quem nos modo cum *Sennerto* triplicem diximus, 2. pro eo qui est fluxus continuus aeris ad longitudinem, ut usurpat *lib. 4. meteor. log. c. 9. p. 219.* Et hoc modo etià hoc loci esse accipiendum ipse Aristoteles testificatur dum inquit: Strepitus autem (cum miculis qui oscitando efficitur) vel aer vel aeris affectio est. Vel secundo attendenda est Phæsis, quæ aliquid aliquando pro purgamento suo sumitur. Sic & Aristoteles *lib. 2. meteor. log. c. 9. p. 219.* eodem spiritus vocabulo utitur. Nam cum paulò ante dixisset quod in nubibus, quando fit spiritus excretio, in spissitudinem nubium incidens extet contrarium: Statim subjungit hæc verba, Spiritus autem extrusus ut plurimum quidem igitur subest ignitione. Et hoc est quod vocamus coruscationem quæ velut excedens spiritus coloratus apparet &c.

### XXXIII.

Hactenus ergo in definitionis enodatione aliquantis per commorati sumus: Nunc paucis etiam distinctionem attingemus. Distinguiamus autem oscitationem in eam, quæ naturaliter se exercet & tam quæ vel morbi præcedit, vel somnum consequitur, vel me non cogitante citra ullum visum & memorie incitamentum prorumpit nec in rectè præter naturalem dixeris. Hujus cancellis includo eam quæ aliquis oscitantem videns, imò in ejus solummodo considerationem abiens corripit.

### XXXIV.

Hæc oscitationis succincta tractatio quanquam sat materiae dissertationi præbere possit? Colophonis tamen loco quædam quæstionculas adijcere placet quæ si non necessitatis, utilitatis tamen & rei præsentis illustrationis sufficientem dabunt fructum, Strictè autem & quoad fieri potest breviter rem absolvemus.

### QVÆSTIO. I.

*Cur oscitatio semper ferè corpus mali affectum comitari soleat?*

Crimen fortasse hinc aliquis adversus oscitationem jaculari non injuriæ sibi videretur, dicendo 1. Quod eum quem super diximus finem sibi



sibi propositum habere non possit. Nam quomodo cor recreet, spiritus purget cum ad male affectum corpus præcipue inveniat. 2. quod non sit naturale ac proinde nec ad naturalem disciplinam pertineat. Probata hac sententia: quod natura interitum fugiat; oscitatio vero morbos, cum morbis corporis corruptionem exoptet; quod iterum probatur, quod nihil quicquam istud sectari cernatur à quo totum abhorreat. At vero totam hanc objectionem unice solvemus hac responsione: Quod nimirum corpus non ideo male affectum sit, quod oscitatione afficiatur, sed idcirco oscitationem, in ejusmodi corpore conspicitur quoniam, ægrum est: Sequatur autem non quasi corruptione gaudeat, sed ut est instrumentum nature præsentis morbo reluctantis. Quam nostram assertionem hoc probamus fundamento. Quicquid ad pristina sanitatis restitutionem aliquid facit illud est naturale instrumentum, quo natura interitum evadere satagit. Atqui, oscitatio talis est, ergo &c. Minorem probamus. Morbus oritur vel ex defectu vel excessu caloris naturalis. Vtroque modo oscitatio salutaria à natura arripitur. Si enim deficit calor naturalis ventriculus concoqui non valens putredini cibo assumpto inferende locum relinquit. Ea ipsa putredo aerem in animato corpore necessitatio presentem facile inficiet nisi perpetua agitatione moveatur & subinde innovetur. Hoc igitur natura optima seorsum magistra sedulo cavens oscitationes ingeminat, quibus non modo impurus aer effunditur, sed purus etiam & non nihil frigidus largissime inducitur. Si vero excedat calor naturalis ratio prompta est ob quam oscitatio adhiberi possit. Aer per se in qualitatibus igni quam æteris elementis similior, facile in ejus naturam abire, totumque corpus exurere inferrime poterit nisi asseratur auxilium, magis magisque aerem attrahendo: Quod fieri melius haudquaquam potest nisi per oscitationem ut statim patet. 2. Morbus quum vires mirum in modum labefaceret, somnus autem eas singulari auxilio restauraret, ita ut somni finem esse institutionem spirituum Sennerius graviter asseveret. Natura per oscitationem somnum ut vitium aliqui refectioem, ne proorsu corruat, machinatur. Somnus, si Platoni credimus, ex compressione palpebrarum maximam partem oritur: Sic enim inquit in *Timo* p. 552. & 553. Etenim salubre palpebrarum tegmen Divi oculis machinati sunt, quibus obductis vis illa ignis intus, convenientia tegminis coerecetur, compressaque interiores motus perfrigidat & mulcet, quibus relaxatis atque mollitis quiete obrepit. Certe si hoc verum est, oscitatio immane quantum ad som-

num confert: Quoties enim se exserit, toties naturaliter palpebrarum compressionem secum habet. Verum eam sententiam, quæ statuit oculi spiritum esse igneum multis jam subtiliter refutavit *Zab. lib. 2. de visu* 1. 6. 7. & 8. Igitur alia potius assumenda de somno sententia: ea videlicet quam habet *excellensissimus* *Dug. D. Semerius lib. 7. Phys. c. 9. de somniis*: Quæ affirmat somnum præcipue generari ex revocatione caloris ad cor. Unde extrema membra & præcipue cerebrum frigidiores non nihil evadant. Secundum hanc certe etiam de somno sententiam natura oscitatione uti potest, ut eum conciliet. Scilicet affundit cordi tantum aeris ut propè nimium refrigerari videri possit; hinc cor suam sibi salutem exoptans calorem in membra, externa dissipatum, ut fovetur advocat. Unde quid nisi somnus? Tandem valde etiam speciosè *Plato p. 597. in Timæe* nutrimentum fieri per expirationem tradit. Quam tamen sententiam quia *Aristot. lib. de respirat. 1. 6. & 7. refutat* adducere noluerunt.

#### QVÆSTIO. II.

*Cur otiosi & desides subinde oscitent.*

Constat quam ob causam morbo per otiosam oscitationem ferè ingeminant. Nunc quam ob causam res ita sese habeat ut otiosi idem faciant dubitare & quærere non injuria possumus. Hujus ergo rationem investigaturus primo loco incumbit ut quem per otiosum velimus intellectum ostendamus: Neque enim eum qui aliquid operatur, extra suum officium ita dicimus, quo respectu Scipio dicere solebat, se nunquam esse minus otiosum quam cum esset otiosus: Neque eum qui vel meditationibus vel sacris mulsrum curis vaeat, sed eum qui plane nihil agendo nisi videndo res ludicras, nec accuratè quidem videndo aut audiendo tempus prætermittit. Id certe desidia mancipium si quis frequenti oscitatione corripi vident, non mirari habebit. 1. Nascentur in eo humores pravissimi ex nimio calore, qui cum alijs per motum in externa membra distribueretur in corporis interiori parte, circa cor, ventriculum, &c. omnis residet. Unde partes illæ internæ nimio calore affectæ efficiunt in hominibus putredinem tanquam causæ externæ; ut loquitur *Zab. lib. 2. de gener. & interit. misti* 1. 7. p. 632. Jam ex putridis humoribus exhalationes illæ famosæ vehementiores fiunt: Quæ ut exhauriantur natura sæpius assumit oscitationem. 2. Ipsæ etiam principales intestinorum partes refrigerationem quærunt quam dat simul oscitatio. 3. potest etiam dici quod istiusmodi desides homines somno amicti sint, qui oscitatione generatur ut diximus, sæpius oscitent.

QVÆSTIO.



### QVÆSTIO III.

*Cur oscitantes lachrymas fundantur?*

Breviter respondemus. Vel 1. quia supercilia, clausis aliquantisper oculis, deprimuntur & spiritus efficientis vi de suo loco distendantur, facile potest provenire humor ex capite, cujus ipsa supercilia sunt retinacula docente Aristotele lib. 1. de part. anim. c. 15. Huc accedere potest alterum hoc: Vel 2. quia vapores, qui semper vivente homine per supercilia crassiusculi evadunt, ut innotuit modo allegatus Aristoteles d. l. inter oscitandum vehementius expelluntur; atque ad eos oculos obrunt. Atque ergo humor ut Zab. cum vocat lib. 1. de visu c. 8. p. 316. oculum tuum ab externis fumis solitus, tunc etiam ab interna illa vi vaporum prurulentum liberat.

### QVÆSTIO IV.

*Cur oscitantes dum loquuntur ululare quam loqui potius videantur?*

Ad hanc questionem paucis dicimus, hoc fieri & propter aerem vehementius affluentem & propter oris cavitatem. Quia aer largius effluit, & vox statim eodem ex guttore, imò ex pulmone etiam, ut docet Aristot. lib. 4. histor. animal. c. 9. p. 9. & sequitur. fit collisio in ipso guttore ex qua collisione fit sonus: Quoniam autem aer effluens nondum est liber sed adhuc inclusus, talis exteritur sonus, qualis fieri solet quando in lateri vasis angustum orificium sonus illabitur. Et verba quidem articulata proferte non possumus quia labra distendantur. Atque hinc ululatus iste.

### QVÆSTIO V.

*Cur oscitantes tantum strepitum edantur?*

Respondet Aristoteles sæpe citato loco problem. 17. Sect. p. 908. Strepitus, inquit, aer vel aeris affectio est. Igitur dum interior remittitur exteriori illi occurrenti, efficitur ut motus interioris strepitus motum exterioris retorquet atque offuscet. Atque hæc de oscitatione perstringere placuit. Jam filum rumpimus, nec amplius quicquam addimus nisi

quod Diogenes, qui cum in lectione auctoris ad finem  
pervenisset, dixisse fertur. Esto mihi Deus meus  
summum bonum & summe voluptas.

CVI SIT LAUS ET GLORIA IN SECVLA.